



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

III. Ivlii. S. Lanfrancvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

S LANFRANCVS natione Transalpinus, patriâ Papiensis, ab ineunte ætate in literis educatus, & cum adoleuisset, progressus in Normanniam venit, famâ & celebritate Elifini Abbatis Beccensis provocatus in itinere Rhotomagum profecturus, vesperi per Syluam transiens, incidit in latrones, à quibus manibus ad tergum alligatis spoliatus, & in densum coniectus est. Manè à viatoribus transeuntibus opem clamore petijt, & solutus est. Inde ad Beccense cænobium se contulit, vbi Monachus primùm, deinde Prior Beccensis fuit: Postea Abbas S. Stephani Cadomensis cænobij, quod Guilelmus Dux crexerat. Deinde Guilelmus Angliæ regno potitus, LANFRANCVM omni literarum genere excultum, & in quo summam gerendi regni spem & fidem collocauerat, ad Archiepiscopatum Cantuariensem ex Normannia vocat: quem LANFRANCVS, & à Rege coactus, & à Papa Alexandro iustus suscepit. Porro LANFRANCVS non modo ob Ecclesiæ sed ob Reip. administrationem spectatæ fuit antistes industriæ. Absente enim Guilelmo, omnia LANFRANCO mandabantur, qui summa prudentia cuncta moderatus proceres atq; plebem in officio tranquillè, sine vllò motu continebat.

Eodem tempore, Berengarius Turonensis in hæreticam prolapsus prauitatem, omnes Gallos, Italos & Anglos, suis jam penè corruerat prauitatibus, nova & inaudita ac falsa asserens super Sacramento altaris, & transubstantiatione, tam panis in carnem, quam vini in sanguinem. Sed Lanfranci prudentia, omnes versutias aduersariorum detegens, Catholicam circa illa omnia confirmauit veritatem. In Cantuariâ maiorem Ecclesiam, cum officinis renouauit. Dignitates multas eidem Ecclesiæ acquisiuit, maneria restaurauit, Xenodochia duo stabiliuit, hæreses condemnans fidem roborauit, ordinem monasticum eleganter informauit, Ecclesiam apud Roffam reformauit, libros quos rudis simplicitas Anglicana corruerat, ab antiquo diligenter sanè correxit, quorum corroboracione se gaudet Ecclesia communiri. Obijt V.

Non. Iulij, secundum Westmonasteriensem IX. Cal. April,

A. C. MLXXXIX. *Ex Angl. Script. pref.*

Matth. Westmon.



S. LANFRANCVS ARCHIEP. CANT. E.D.

ORD. S. BENED.

*Ausonia venit LANFRANCVS aduſq; Britannos,
Poevina illuſtrans lumine utraque ſolium*

558

Handwritten notes on the red-inked spine edge:
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...

N.

N

IV, IVLII